

perditi dicuntur. Descripta fuit a me hæc historia cum Mediolanum venissem hac una de causa ut tempus aliquod transmitterem, cuius beneficio res non mediocri momenti, propter quam agenda iter fuerat in Lombardiam, maturefcere posset. Otiosus in eam Bibliothecam venire solebam, & cum de Græca lingua sermo aliquando incidisset, Nicolaus Sormanus Custos merito præcipuus ostendit codicem, & ut erat summopere doctus, commodus, & ad litteras iuvandas semper promptus, copiam fecit ejus describendi. Magnam partem sedulo descripseram, videlicet ad mortem usque Constantini Magni: sed ut sunt sæpe res hominum infensis casibus obnoxia, usu codicis prohibitus sum mœrente, vel potius de se contempto, aut injuria sibi illata maxime dolente Sormano. Hoc infortunio percussus ego & afflictus sine ulla cunctatione discedendum judicavi eo vel maxime ut vir beneficus omni ægritudine propter me orta levaretur. Ita re neque infecta, neque facta discessi postridie mane, & reversus fui ad propositum, cuius gratia domo me dederam in viam, & cuius sollicitudine urgebar. Quod descripseram, multos annos jacuit penes me, & tandiu jacuit quoad benignitate Eminentissimi Principis Vitaliani Cardinalis Borromæi nomine gloriosæ familiæ suæ Præsidis Bibliothecæ, descriptionem curante, Baltassare Oltrocchio, quod reliquum erat comparare potui.

Caret codex initio seu folio primo; ita periit titulus operis, periit & nomen auctoris. Brevi & compendiaria via complectitur hæc historia res & acta ab initio mundi ad secula usque priora Ecclesiæ catholicæ, quibus Christiana Religio prædicata ubique & per gentes diffusa narratur. Persequitur historias sacrorum Bibliorum, deinde res Christianorum quas tradiderunt Eusebius, Socrates, Sozomenus, & cætera ejus generis, & earundem argumenta in mediocre librum quasi coacta constringit.

Quæret fortasse quispiam, quo hæc historia e loculo, in quo delitescerebat, in lucem educitur, si fontes e quibus desumpta est, plerique adhuc supersunt, & cuicumque legere licet. Ego vero res compendio narratas non minus utiles hominibus judicavi semper, quam earundem productas in longum expositiones. Alliciunt enim illæ brevitate sua, contra hæc mole qua constant, facile absterrent, & avertunt. Supererant etiam post Severum illa, e quibus opus suum composuerat, Sacra Biblia, monumenta Ecclesiarum, & Conciliorum gesta, Pontificum & Episcoporum historiarum persecutionum, Acta Martyrum, historiarum item omnis generis: Supererant hæreses, & scripta quibus illæ erant confutata, itidem earum sectatores & qui tum illos reprehendebant. Quamvis hæc omnia extarent, nihilominus seculis sequentibus magna facta est eadem historia Sacra, descripta & de ætate in ætatem producta ad nos usque pervenit, eamque Gabriel Cardinalis Palæotus juventuti proposuit ut ætati & eruditioni ejus valde accommodam. Quanquam si convertimus oculos ad ea tempora quibus Severus & noster hujusmodi elucubrationes historicas perfecere, omnino credibile est eosdem habuisse in-

ani-

animo, commoditatem creare cognoscendi res nostras facile hominibus ejus ætatis, Gentilibus qui nostræ Religionis non essent incuriosi, aliis similiter qui inclinati in eam propendebant. Sozomenus l. i. c. 19. symbolum fidei in Concilio Niceno approbatum & posteritati ratum & cognitum inferere historiarum suarum noluit, quia non initiatos mysteriis eam esse lecturos putaret. Neminem Paganum legere magnum volumen de rebus nostris voluisse puto, breve forte non detrectasse. Qui hoc opus legisset, & locum dedisset rationi, facile dubitare incipiebat de veritate plurium deorum, quorum non erat certa origo, fœda in terris vita, dubia auctoritas & potentia. Contra Christianorum constans de mundo a Deo condito persuasio, contemptus rerum terrenarum, constantia in adversis, innocentia & facilitas vitæ, & in Deum suum mira fidelitas, pro qua retinenda nulla minarum tercula, nullas atroces poenarum perpeffiones declinabant. Neque vero putet aliquis paucos superfuisset Gentiles postquam Imperatores Christiani per annos centum & amplius jam regnabant. Qui historicos rerum nostrarum quos supra nominavimus, legerit, Sophistas sciet & Philosophos plurimos tum vixisse a Christo alienos; Urbes deinde plures hominibus refertas, qui veterem Deorum cultum retinentes, & qui odio Christianos habentes sæpe persequerentur acerbè, ut e multis locis libri hujus, & ex aliis quos diximus, manifestum est: Homines similiter extra urbes degentes, ex quibus milites & exercitus ut semper solent, constabant, Deorum cultores fuisse, Paganorum nomen indicare manifestum est. Si tot non defuerunt extra numerum Christianorum intra fines Imperii Romani, quanto plures erant ultra Syriam, Armeniam, Pontum in Oriente ad Septemtrionem rerum ad Christianos pertinentium aut ignari, aut contemptores?

Jam vero brevis hujusmodi veterum temporum, rerumque gestarum narratio opportuna erat iis, qui recens Christianam religionem susceperant colendam: siquidem modici temporis lectione, quid ab initio rerum ad suam ætatem factum fuisset discerant, Deum omnium Creatorem, ejus cultum a primis Patriarchis ad Hebræos traditum, de humano sanguine Dei filium secundum carnem natum, ejus discipulos docuisse genus humanum universum, & viam veritatis, & æternam salutem ostendisse. Lectis his, in quibus res erant indicata solum, & velut adumbrata, cupiditas oriebatur facile rursus eadem legendi plene & cumulate descripta in Eusebio & reliquis scriptoribus eximiis. Præstat hæc historia, quod suppeditant Justinus, Xiphilinus, Florus, Aurelius Victor, Rufus, Festus, Eutropius, qui redegerunt in mediocres quisque libros historicos superiorum temporum, qui non extant amplius. Hæc nostra quia privato commo serviebat, quamvis ætatis vitium non nihil sit passa, servata est in hunc diem: Fontes e quibus est confecta, Ecclesiarum curæ fuit ut non perirent. Et qui res Christianas amant, in his omnibus sibi magnopere placent.

Ultimo loco addam, in animis hominum qui litteras excolunt, eam sem-